

toriae bravium suas postea deducat phalanges, earum ordinatum receptum iubet; *pleraque facienda quidem sunt, sed utilius fiunt si congruo in tempore reservantur*¹ Ne, igitur, nimis frequenter, quae coeperimus aedificare, haud consummare valeamus, caute negotia aggredienda sunt. Quod si, processu temporis, inopinatae obvenerint difficultates quas superare aut declinare adeo non liceat ut detrimenta quae obvenire possint, quae auspicantur adiumenta aliquantulum saltem superent, tunc [nisi peculiaris necessitas aliud suadeat] prudenter ac [quantum fieri potest] absque auctoritatis detrimento, recedendum est, ne bonum appetendo, malum sequatur. Quod ut devitetur:

a) Negotia haud cito, nec insimul aggrediantur, et quae praevideri possint praevideantur. *Artifices, enim, opera sua prius inchoant, deinde comunt, et pictor cum pulchros colores aut aurum superducere appetit, viliores prius colorem sternit*²: qui vero locum ascendere nititur, *neesse est ut gradibus vel passibus, non autem saltibus elevetur*³. Et recte sane; nam ille tantum qui cuncta priusquam veniant conspiciat, *nequaquam postquam aliquid fuerit poenitendo resipiscit*⁴.

b) Obstacula de medio Pastor auferat ac Potentium, praesertim animum sibi aucupare conetur, ut quae aggredienda sunt adiuvent, vel saltem ne impediunt; ad quod assequendum consilio uti quam maxime iuvabit. Persaepe, enim, eo tantum quidam adversantur quia ab agendis arcentur; quos si [consilio saltem] tibi cooptaveris, statim verbis tamen [quod interdum plus operibus valet] in tuos validissimos adiutores commutaberis: quae, enim, defendunt non tibi, sed sibi adscribunt.

c) Media ad rem positiva quae ad negotium perficiendum utilia, vel saltem necessaria existimaverit deinde exquirat Pastor. *Fieri, enim, non potest, aut non facile fit ut is res agat praeclaras cui facultates desunt*⁵. De his vero, quamvis abundare quam deficere praesertantius sit, attamen [in rebus minoris praesertim momenti] quae tantum sufficiunt sibi comparare prudentius erit. Secus adiumenta, pro maioris momenti negotiis reservanda, tererentur inutiliter, ac [una cum rumore] admiratio invidiaque [quae, ut plurimum, inopinatas parere difficultates consuescunt] excitarentur atque illud impleretur *parturient montes, nascetur ridiculus mus*⁶, quod et in auctoritatis detrimentum vertit.

¹ S. Gregor. Magn. in *I Reg.* Lib. IV, Cap. 4.

² Id. *Epistol.* Lib. XII, Indict. V. Epist. I, *Ad Dominicum Episcop.*

³ Id. *Moral.* Lib. XVII, Cap. 19.

⁴ Id. *Ibid.*

⁵ Aristoteles, *Ethicor.* Lib. I, Cap. 8.

⁶ Horat. *De Arte Poetica.*

d) Tum negotii anteacta ac initium, tum progressum ac finem adeo perpendat Pastor, ut, quantum fieri possit [historica quadam ratione] sese inter ea connectere valeat. — Caeterorum promissionibus ne facile praestet fidem; difficultates passurum esse ne sibi dissimulet; multi, enim, agendo deprehenduntur scopuli, qui speculando neque suspicantur; actione vera ipsa quaedam adversus negotium illudque gerentem concitantur obstacula quae secus numquam oborta forent. *Spem, igitur, sicut anchoram habeamus animae*⁷, at securus rei eventus haud de facile nobis repromittere audemus; sine labore, enim, certaminis, non est palma victoriae. — Quum vero *non in multitudine exercitus victoria belli, sed de coelo fortitudo*⁸ sit, potiusquam in hominibus eorumque auxiliis, *in Domino Deo nostro habeamus fiduciam*⁹, qui *videns humilitatem nostram*¹⁰, *eripiet nos de contradictionibus*¹¹, et [in apostolatus ac christifidelium bonum] *manum ac brachium dextrum glorificabit*¹². Si, enim, *maledictus homo qui confidit in homine*¹³, e contrario, *benedictus Vir qui, confidens in Domino*¹⁴, *non minorabitur*¹⁵.

90. — Prudentiae praecepta nimis subtiliter ad trutinam Pastor ne revocet, monente Scriptura: *Noli esse iustus multum, nec plus sapias quam necesse est, ne obstupescas*¹⁶; *pone prudentiae tuae modum*¹⁷. Enimvero insipiens est *omnis sapientia cui non adest modus*¹⁸; nam *cui prudentia est plurima non est recta, quia dum ultra modum tenditur, in quolibet latere culpae declinat*¹⁹, ac plurimum adeo anxietatibus exagitur ut et otiosum extet. *Nil sapientiae odiosius cacumine nimio*²⁰, quod si persequeris, stultus efficiaris. Non sis, igitur, importunus, sed cum tranquillitate cuncta age; quidquid, enim, modum excedit et discretionem non tenet, nec Deo placet, nec hominibus prodest, nec diu durare solet. *Sufficit diei malitia sua*²¹, et si nimium de futuris sollicitari humanae fragilitatis est, in Deo ponere fiduciam ecclesiastici Pastoris est qui, divinam expectans ordinationem, omnia de manu Dei humiliter suscipit. Qui, enim, aut invidiae diffidentiaeque sensibus permoti, vel ut propriam abdant inscitiam adversus prudentem adeo conspirant ut inopinatas difficultates ei comparent habentur semper,

⁷ Hebr. VI, 10.

⁸ *Machab.* I, III, 19.

⁹ *IV. Reg.* XVIII, 22.

¹⁰ *Psalm.* CXVIII, 13.

¹¹ *Psalm.* XVII, 44.

¹² Cfr. *Eccles.* XXVI, 7.

¹³ Id. *Ibid.* 7.

¹⁴ *Eccles.* XIX, 7.

¹⁵ *Eccles.* VII, 17.

¹⁶ *Prov.* XV, 16.

¹⁷ Lipsius, *Epist.* 56.

¹⁸ S. Gregor. Magn., *Moral.* Lib. IX, Cap. 6.

¹⁹ Petrarca, *Dialog.* 8, VIII.

²⁰ Matth. VI, 34.

²¹ *Eccles.* VII, 50.

quos [et si possibile esset] quoquomodo persequi omnino dedecet. Communes, igitur, caritatis iustitiaeque vias insequendas, et qui has relinquunt [uti rationis prima principia a communi praestituta sensu negligentes] imprudentissimi efficiuntur. Veram, enim, sapientiam, potiusquam in singularitatibus [quae perraro habentur] in recta ratione, et in consueta bonorum mortalium agendi modo contineri, philosophi omnes unanimiter docent. Enimvero, *Deus fecit hominem rectum, et ipse se infinitis miscuit quaestionibus*¹, quas sedulo vitare prima prudentiae dictamina iubent. — Nec eadem ratione scientiae artisque et sapientiae prudentiaeque praecepta habenda sunt; nam, dum prima novis perficiuntur inventis, altera, e contrario, speculatione nimia adeo implicantur destruunturque ut [culicem in camelum, muscam in elephantem commutantes] ludrica [ac ideo spernenda], magna in negocia efficiantur, quo nil stultius. At multae saepe res ad nihilum redactae fuere quia spretae; alias, e contrario, nihili faciendas supra excrevisse modum quia animadversas, quotidiana experientia docemur. Sed, potiusquam negocia implicare, simplicia ea reddere prudentiae est, quae simplicitati quam maxime propinquatur. — Ne, igitur, res omnes, ac praesertim displicentia, nimis subtiliter excutiat rimetque Pastor, cui non tantum illud *ama nesciri*², sed et aliud *ama nescire* interdum suadendum. *Multa, itaque, nescias, plurima dissimules, nonnulla obliviscaris*³, et generatim, *in supervacuis rebus noli scrutare multipliciter*⁴. Secus dum, prudentiae excessu, quaesitum haud assequitur bonum, et mala sibi comparat, uti malo citreo assolet qui si nimis exprimatur post dulce, amarum succum praebet. — His, igitur, quos prudentiae venditores compellere consuescimus [his, nimirum, qui rara cum voce ac inepta gravitate, continuo ac in omnibus prudentiam suadent] ne nimis se fidat Pastor; immo, quum interdum quae virtutis adiumenta sunt in malitiae, pusillanimitatis otiositatisque velamentum vertant, devitandi quam maxime. Eorum, enim, machinamenta si per supernae prudentiae cribrum, recte, undique funditusque excernis, [sponte veluti sua] vetus illud effatum *quam parva sapientia regitur mundus* menti labiisque recurrit.

91. — Occasiones temporaque opportune carpantur; *omni, enim, negotio tempus est et opportunitas*⁵, quae quum hic in terris veluti umbra labantur, si illis deficimus, et opportunam agendi occasionem amittimus. Quamvis, enim, *sortes mittantur in sinu et a Domino*

¹ *De Imit. Christ.*, Lib. I, Cap. 2.⁴ *Id.* III, 1.² S. Bernard. *De Consider.*, Cap. 2.⁵ *Prov.* XVI, 23.³ *Eccles.* III, 24.

*temperantur*¹, attamen et secundis Deus utitur caussis, quibus [ne occasionibus agendi opportunis fallat] homo quoque consulere oportet. Quidquid, igitur, agis ad temporis obrussam redige, ac adeo *intentus semper sis ut neque tuae occasioni desis, neque tuam hosti des*²; nam *bonum non censetur neque quod praevenit opportunitatem, neque quod fit tardius*³, et negotiorum nervum totum in eo est ut illum labentem temporis ictum [qui *transitus rerum*⁴ a Tacito compellatur] ad actionem opportunum carpamus. Sicque ex. gr. negotia citissimo agenda pede adsunt, in quibus facto potiusquam consulto opus est. Et alia, e contrario, habentur [eaeque plurima] in quibus adeo lente incedere necesse est ut et heroica interdum patientia adhibenda sit, cuius tantum gratia potiusquam prosilire [quod sane ineptum], solvere impedimenta licet. Tunc eventuum cursus expectandum est, et cum ictus ille temporis [de quo mox diximus] advenerit, ex considerationis arcu, actionis tela mittenda sunt. Ut plurimum [nisi adsit in mora periculum] si, interposito spatio, consilia in melius mutaturi praevidemur, cunctari praestantius erit, iuxta illud: *da spatium tenuemque moram, mala cuncta ministrat impetus*⁵. Si, e contrario, fere certam boni successus spem foventes, ac cunctando difficultates augescere suspicamur, omnino secus agendum, ut quidam monet Sapiens: *In crastinum ne differas quod hodie perficere potes: secus et aegrius facies et sterilius, vel oblivisceris, vel, ob demonis artes vel animorum inconstantiam, novis occurreris obstaculis*⁶. — Caeterum [quod per transennam recolemus] quum prudentiae famam adeptus fueris, errores ipsos uti successus a subditis facile tibi adscribi pro certo habe. At fortunae tuae nimium ne crede, quia haec fama facile labitur, qua cadente et bonus successus uti errores ab adversariis habebuntur. — Tandem si tanta virtute peritiaque polleas ut aptas negotio tuo circumstantias suscitare valeas, enixe laudaberis. Attamen ne quid nimis; quum si eas sponte oblatas carpere arduum, ponere vero apteque moderare adeo difficile ut peritissimorum tantum sit.

¹ *Prov.* XVI, 33.⁴ *Annal.* Lib. II.² Tit. Liv. *Histor.* Lib. XXII.⁵ *Juvenal.* IV.³ Lipsius, *De Doctrin. Civil.* Lib. IV.⁶ S. Ignat. Loyolens. *in Sentent.*

§ III. — De peculiaribus ad rem normis.

SUMMAE RERUM. — 92. Animadversiones praeviae. — 93. De se ipsum ac suis aliquantum occultandis, et ad rem normae. — 94. De personarum captandis animis. — 95. Nihil humani in hominibus mirari. — 96. Conclusio.

92. — Quamvis generales quas hucusque indigitavimus normae magni momenti faciendae sint, attamen, ad rem nostram quod attinet et aliae peculiare recolendae veniunt, quibus tantum haec perardua agendorum ars [in quantum licet] magis magisque inlustratur. Praecepta ad rem sequentia igitur sint.

93. — Quid sit, quid noscat, quid possit, quid velit haud statim totum Pastor caeteris ostendat, monente Scriptura: *Totum spiritum suum profert stultus, sapiens differt et reservat in tempore*¹. Itaque:

a) In regiminis praesertim initiis [illa immo in periodo quae inter electionem ac assumptionem intercedit] quam maxima consulenda prudentia est, ne extruendum aedificium super arenam collocetur. His, enim, praesertim in adiunctis, qui dicta, acta, immo et quae suspicantur a Pastore cogitata, ac ab ipso praestituta [quaestorio more] perseveranter versuteque undique perquirant haud desunt. Tunc hi, callidis inopinatisque quaestionibus, fictisque oppugnationibus, adeo Pastoris blandiuntur passiones ut quae in regimine agenda, praetermittenda, servanda innovandaque proposita sibi habet ipse pandat. Verba fere sensu vacua, hinc inde carpta vel suspicata, ad invicem curiosi isti connectunt, quibus sententias effingunt, quae deinde, mirum amplificata in modum ac etiam ex novo conflata, septem tubarum sonitu, verbis scriptisque huc illuc indesinenter evulgare satagunt. At *attende ne forte labaris in lingua et cadas in conspectu insidiantium*²; *tibi certa atque librata tuique opportunitate gratissima silentii verbique ratio*³ sitque. Si animi sui sensa pueriliter ipsis Pastor vere pandat, perplura saltem quae agenda statuit haud executurum esse pro certo habeat: detecta, enim, consilia, idem ac ruinata persaepe habenda sunt. Sicque, dum largissimus uti promissor at tenuissimus exhibitor a fidelibus haberetur [loquacitatis suae condignam recipiendo mercedem] detrimenta cum sugillatione ipse solus sustinebit. *Qui, enim, multis utitur verbis, laedet animam suam*⁴. Idcirco tum se

¹ Prov. XXIX, 11.² Lipsius, *De doct. civil.*, IV.³ S. Hieron. *Ad Marcellin.* epist. 15.⁴ *Ecclis.* XX, 6.

ipsum, tum colloquutores attente Pastor vigilet, aliorum passionum scopulos praetervehi contendat, cogitata agendaque ne facile pandat, auditorum intentiones sedulo perscrutet ac, uno verbo, potiusquam vendere [prudentiae auro] emere satagat. *Gloria, enim, Regum investigare sermonem*¹.

b) In omnibus pastoralis regiminis temporibus:

I) Adeo considerate Pastor incedat ut, antequam alterno gradiatur pede, an primum consolidatus sit exquirat. Aedificantem itaque domum imitatus [qui, priusquam superstruat, an quae struxit, arenato et tempore, firmata sint attendit] priusquam ad nova adipiscenda se extendat, adepta firmet confirmetque.

II) De antecessore unquam ac quoquomodo obloquitur Pastor, et adversus dicteria eum protegat. Complurimi, enim, illo cadenti soli quem lucentem venerati sunt, terga vertere, semper ubique habentur..., et practicas paroeciae regiminis difficultates novus Parochus ignorat.

III) Sermo vitaeque sua suavem prudentiam redoleant: antequam quidquam exprobat verbis, recogitet mente, ac quae cogitaverit vel statuerit [circumstantiarum habita ratione] sensim sine sensu prodatur. Ad auctoritatis, enim, fastigium tutandum, dubium quam maxime confert, et dum fideles quem ex integro agnoscunt spernunt, quem, e contrario, ex parte tantum norunt venerantur.

IV) Ne promissa in irritum cedant [quod in Pastore, praesertim, quam maxime dedecet] multa nimiaque ne polliceatur ipse, ac ita se gerat ut sive adulationis et gloriae, sive pecuniae causa moveri suspicionem a se omnino arceat; ecclesiastico, enim, regimini nil hisce infestius haberi potest.

V) Divina sanctaque eloquia semper in corde, opportune vero tantum in ore Pastor habeat; sermonem veritatis conditum gerat in ore, affectum vero apostolicum [ulla absque carnis affectione] gestet in corde.

VI) Propriae personae prodigaliter devitet, nam etsi sancta, cum virtus uno ictu totam se pandit [lampadis ad instar quae cum nimium ardeat, potiusquam lucem, malum odorem fumumque effundit] quae sanctitatis adiumenta sunt amittit. *Assiduitate mirabilia quoque vilescunt*², ac tantum quae homines optant, haec quoque aestimant: bonum si modicum duplex bonum, et ut quis iterum sitiatur vel appetat, haud inebriandum saturandumve est.

¹ Prov. XXV, 2.² S. August. *De Civit. Dei*, Lib. II, Cap. 4.

94. — Personarum omnium animos sibi allicere Pastor studeat, quum *proprium prudentiae sit conciliare sibi animos hominum, et ad usus suos adiungere*¹. Posuit, enim, nos *Deus in agnitionem salutis*², vocavit nos *in acquisitionem gloriae Domini*³. Quod et Servator Noster egit qui in mundum veniens, prudenti suavitate, cunctos ad se trahere studuit ut omnes ad sua sequenda divina praecepta suaderet. Hoc et Apostolus servavit qui obtestatur: *Omniū me servum feci ut omnes lucrifacerem...: omnibus omnia factus sum ut omnes facerem salvos*⁴. — Pastor, igitur, prudens christifidelium animos sibi captare conetur, ut unicuique possit inferre antidota. Brevior, enim, ad mentem via, cordis iter sectare est; quod si omnes intelligerent oh! quanta et pastoralis in regimine suavitas sancta perfunderetur, quanta [terrae coelique magno cum gaudio] praeclara, ac numquam laudanda satis, christianae observantiaeque haberentur facinora! — Media vero generalia [pecularia inferius indigitabimus] ad animos tibi aucupandos sunt:

a) Antequam quidquam cum aliquo pertentes personae indolem et anteactam vitam, quid amet, quid speret, quid timeat sedulo investigabis, et, quantum fieri potes, potiusquam illam tibi, te illi aptabis, ut ad tua consilia caritative eam trahere possis.

b) Ubi primum eris, quae inibi usu veniunt sedulo exquire, et, quoadusque ibi manebis, ea sequere; quo et perplura ridicula [quae regiminis initia quam maxime inficiunt] et devitabis. *Dum Romae es, romano vivito more* apte monuere Veteres.

c) Quae iam viguere diu, nec facile emendes eoque minus destruere contendas, sed Angelum custodem imitaberis qui, potiusquam nos dimittere ac frangere, nos [corroborat, suae caritatis igne radiisque nos collustrat, fiduciam auget, ac, consolationum dulcedine, obiurgationum amaritudinem peramanter temperare contendit. — Quando vero mutandum consilium est, *primo quidem an liceat, deinde an deceat, postremo an et expediat considerandum est. Nam etsi in christiana utique philosophia non decere nisi quod licet, non expedire nisi quod decet et licet, non continuo tamen quod licet decere aut expedire consequens est*⁵. Ubi illa aurea Apostoli verba in mentem revocantur: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*⁶. Idcirco *vide utrum liceat, si liceat utrum deceat, et si deceat utrum expediat; nil enim ex-*

¹ Cicero, *De Officiis*, Lib. 3.

² *Ad Corinth.* IX, 19.

³ *Ad Tesselonic.* XV, 19.

⁴ *Ad eosd.* II, 13.

⁵ S. Bernardus, *De Consideration.* Lib.

III, Cap. 4.

⁶ *Cor.* X, 22.

*pedit nisi liceat et deceat*¹. Generatim novitatis studium abhorreat Pastor, quum traditionum ac consuetudinum quam maxime illud inimicum extet. *Dignum est, enim, ut [Pastor] antecessoris sui gressibus viam inoffensis incedat, quem de eodem loco ad reddendam rationem ante iudicis tribunal expectat*². Ut plurimum, nihil statuas nisi *populi quem regendum suscepit mores apte noverit*³, et summa necessitas, aut summa utilitas hoc expresserint. Tunc quoque adeo lente, leniter, ac paulatim agat ut, potiusquam torrenti extra ripas velociter diffluenti, rivulo suo in alveo pacifice decurrenti, comparaberit.

d) Si tuo in grege discordiae pestis saeviat, donec omnia inspicias cognoscasque, in alterutram ne declines partem: deinde vero [Aaron imitatus, qui *stans inter mortuos et viventes, pro populo deprecatus est, et plaga cessavit*⁴] adeo utaris ut non factionum assecla, sed Vir Dei eiusque prudens apostolus ac omnium Pastor videaris. Perdifficile, enim, est et certantes inter uni tantum factioni ius omne insideat, et quamvis habeatur, attamen [quum omnes a Deo ac Ecclesia concrediti tibi sint ut, per christianae vitae itinera, ad caelestem deducas Patriam] non quibusdam tantum, sed adeo consule cunctis ut *te omnes sentiant Patrem, te omnes noverint matrem*⁵.

e) Cum hominibus saeculi laudare ac donare proderit; laudibus, enim, inhiare omnium est, et qui pecuniam spernant paucos invenies: utraque attamen apte utendum, ne adulator vel dissipator videaris. — Iaudis honorisque cupidis sanctae immortalitatis gloriam, superni coeli thesauros avaris, aeternas Sanctorum Patriae delicias voluptuosis ostende. Omnes vero [humanis quae ad rem faciunt argumentis adhibitis] *in funiculis Adam, in vinculis caritatis*⁶ capere contendes. — Clandestina consilia struendi callidis artificibus [*intrigants*] ac [uti aiunt] affaristis et sannis, *ambulantibus*, nimirum, *in astutia*⁷ et *curiose agentibus*⁸, *nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi disrumpant vos*⁹. Nil, igitur, est cur vos cum ipsis implicetis; veritatem enim, ipsi spernunt, et, ne Dei Gratiam in vacuum recipiendo, eorum culpa augeatur, sinite eos abire. — Tandem si [ut diximus] cum publice impiis inhonestisque nimiam in eas consuetudinem, tibi, apostolatoque quam maxime indecora noxiaque comparabis: *malorum namque cum*

¹ S. Bernardus, *Epist.* 24.

² S. Gregor. Magn. *loc. cit.*

³ Rodolph. Austr., *Sentent.*

⁴ *Numer.* XVI, 40.

⁵ S. Bernardus, *Epist.* 2 ad Fulcon.

⁶ Osea XI, IV.

⁷ *II Corinth.* IV, 2.

⁸ *II Thessalonic.* III, 11.

⁹ Matth. VII, 6.